

51

Q. F. F. Q. S.
SPECIMEN ACADEMICUM,
**RUINAM
MURORUM
HIERICHO**
Jos. VI. FUISSE
**MIRACULUM
OSTENDENS,**

QUOD,

*Cum Consens. Ampliss. Facult. Philos.
in Reg. Acad. Aboëns.*

PRÆSIDE

**CAROLO FRIDERICO
MENNANDER,**

Scient. Natur. PROFESS. Reg. & Ordin.
PASTORE in Rändämäki, &

Reg. Acad. Svec. Scient. MEMBR.

Candidis rerum Censoribus examinandum sifit
JOHANNES SALMENIUS, Joh. Fil.

OSTROBOTNIENSIS.

In Auditorio Maj. V. D. die XI. Jun. Ann. MDCCLI.
H. A. M. S.

ABOË, Impressit DIRECT. & Typogr. Reg. Magn.
Duc, Finland. JACOB MERCKELL.

VIRO plurimum Reverendo atque Praelarissimo,

MAG. JOHANNI SALMENIO,

Ecclesiarum Calajokiensium PASTORI Meritissimo,

PARENTI INDULGENTISSIMO:

Quoties Tua in me, Parens Indulgentissime, merita,
& paterni pectoris documenta prorsus singularia, que
a cunis usque in me exstare voluisti, cogitatione ample-
ctor; toties ad erigendum aliquod grati pariter ac venerabun-
di, animi monumentum memet incitari fateor. Diem itaque
sepius vehementiori mentis affectu desideratum eluxisse summo-
pere letor, quo, in mentis ad gratitudinem propensa indiciam,
lucubrations bas levi penicillo exaratas Tibi, Parens Opti-
me, offerre licet. Permitte igitur, Parens Indulgentissi-
me, pagellas bas Tibi dicatas, venerationis jam duam ab
infantili etate in precordiis delitescentis testes esse. Merita in
me

me prorsus paterna bac occasione silere consultius duco; quam
ea incomto verborum apparatu obnubilare; sunt enim, quod lu-
bens fateor, meis encomiis longe superiora. Præterea, ut affe-
ctus mediocres facundiam adjuvant atque adaugent, ita vebe-
mentem eorum impetum efficere deprehendo, ut verba subire non
velint. Facit itaque veneratio & amor tenerrimus, quo filius
Parentem Indulgentissimum prosequitur, ut eloquentia ejus,
si que foret, beneficia paterna enumeraturæ, aqua hereat. Offi-
cii tamen mei prorsus immemor ne censem, DEUM Ter Opti-
mum Maximum calidissimis semper compellabo spiriis; velit
Te, Parens Indulgentissime, inter beatæ vite & prosperi-
tatis fastigia sartum tectumque quam diutissime conserbare;
& annos Tuos ad ultimos usque mortalitatis terminos prove-
bere, ecclesia Christi, cuius sedulam semper gessisti curam, non
mirori emolumento, quam Tuis gaudio! Ex intimis cordis re-
cessibus ita vota

PARENTIS INDULGENTISSIMI

Filius obsequentiissimus;
JOHANNES SALMENIUS.

AUCTORI

Præstantissimo.

Qui vel tantillum regnum naturæ & gratie, effectusque virius-
que excellentissimos, ordinemque in illis splendidissimum,
contemplatus fuerit, ignorare non potest, quam miranda sane
ratione Summum Numen hecce vestissima regna, quoad caussas,
non efficientes, verum finales, sibi invicem catena quasi junxe-
rit. Hoc ipsum evincunt quam maxime miracula, exempla Sa-
pientie Divina summa. Ruinam murorum Hierichuntis, op-
pidi Cananitici frequentis florentissimique, fuisse miraculum,
dum Tu, Vir Præstantissime, pererudita bac Tua disserta-
tione breviter arguteque demonstras, & simul miraculo-
rum naturam indolemque altius animo perlustras, eadem
opera ostendis, quam indefessam eruditioni & pietati im-
pendisti operam, & quam dignus sis, qui honores successu
temporis Tibi offerendos accipias. Quia propter non possumus
non Tibi, Vir Præstantissime, hunc feliciter exantatum
laborem ex animo gratulari, simulque vovere, dignetur Deus
T. O. M. talia Tibi olim uberrime largiri doctrina atque virtu-
tum premia, qualia jam dudum Tibi ominati sunt amici, boni
& populares omnes!

Ita animo quam vena prolixiori
gratulatur

M. L.



Q. D. B. V.

S. I.

Liber *Josue*, tempore & ordine volumini *Mosaico* proximus, nomen suum reportavit non modo ab argumento, quia res gestas hujus herois & *Herculis Israelitici*, cuius præ se fert inscriptionem, enarrat; sed etiam ab auctore, cum per eundem conscriptus jure credatur. Exponuntur vero fide Divina hoc ipso libro fata gentis Judaicæ, & rerum gestarum series ferme XVIII. annorum; ab obitu nimirum *Moss*, ad *Josue* mortem. Continet itaque tam ea, quæ occupationem terra promissionis antecesserunt, quo spectat *Josue* vocatio, transitus *Jordanis* miraculosus, & circumcisionis Paschatisque repetitio; quam ipsa bella cum *Cananæis* gesta; & denique, expugnatis urbibus & hostibus profligatis, regionis distributionem, administrationem, & comitia *Sichemita*. Jam populus Israëliticus per siccatum *Jordanis* alveum in terram *Canaanam* intraverat. Sed sub ipso ingressu oppositam sibi invenit urbem Hiericho, חַרְמָה רֹתֶה, qua anadiplosi significari ostendunt interpres, illam fuisse probe munitam & firmatam, validis custodiis, munitiobibus operibusque clausam; ad cujus expugnationem ipse

A

filius

filius DEI, in forma bellici ducis apparens, Iosuam animosum reddidit. Utpote vero benignissimum Numen, cuius fides nunquam intercidit, jam in eo erat, ut promissionem suam s^epius repetitam, de terra *Canaan* posteris Abrahami tradenda, impleret, ita præcripta iis dedit certa, quæ in occupanda eadem sancte observarent, & factis ad ungues usque imitarentur ; si voti fieri vellent compotes. Imprimis autem circa modum expugnandæ hujus urbis præcepit, quid faciendum esset cunctis bellatoribus, quid sacerdotibus, & denique, quid omni populo. Nimirum sex diebus semel quolibet die circumirent civitatem; septimo vero septies. Septem sacerdotes, qui arcæ testimoniæ anteibant, buccinis clangerent. Erant vero *Judaicæ* instrumenta musica pneumatica vel spiritu incitata triplicia, Antiquissimæ, quæ in sacris monumentis comparent, sunt חצצ'ות כהן, tube argenteæ, quarum materia & usus describitur *Num.* X. quarumque formam exponit *Josephus*, *Annot. Jud.* I. III. c. II. Præcepit Deus Mosi, harum duas facere, non tamen prohibuit, quin plures successu temporis, aucto populo & sacro cultu, addi possent. Hinc harum 120. Salomonis tempore in inauguratione templi sacerdotes inflabant. II. *Par.* V: 12. Aliud instrumentum εὐπνευστον erat חליל, quod *Buxtorfius* in *lex. Talm.* perribiam exponit. Hoc ad omnem musicæ elegantiam erat comparatum, hinc usus ejus neque erat vulgaris, sed plane festivus; adhibebatur nimirum ad canendum τὸ Hallel in solennioribus festis, & sub regum unctione ac inauguratione. I. *Reg.* : I: 40. Nostro loco mentio fit tertii instrumenti, שופר, quod communiter exponitur per *buccinam*, in circulum recurvum declinantem. De materia hujus video multum disceptari, cum varii per vocem additam יוכל, quam Arabicæ originis esse volunt, arietem designari con-

contendant, adeoque buccinas has e cornu arietino fuisse paratas. His tamen contrarius est Bochartus, Hierozoic: libr. II. c. 43; qui cornua hæc, ob soliditatem & parentiam cavitatis, quo flatus reciperetur, minus idonea esse, ex quibus conficiantur buccinæ, ostendit; arietem etiam non quam hoc sed semper aliis nominibus Arabice vocari. Hinc Hebræorum לְבָנִים, & Latinorum Jubilum, potius a Jubal, primo inventore musices, Gen. IV: 21. vult deducenda, & significari hac voce sonos, canoros quidem, sed rusticos, duros, agrestes & quasi ululantes, quales edebant inchoata sed non perfecta primi artificis instrumenta. Erat vero ex mandato divino duplex clangendi modus. Unus, dum tubarum inflatu edebatur sonus simplex, brevis & uniformis; alter prolixior & fortior. Ille modus observaretur in hac obsidione prioribus sex diebus, hic autem sub circuitione ultima diei septimi, ut inde populus quasi vociferandi signum & incitamentum expressius haberet. Tum sub omnis populi vociferatione eveniret, ut muri conciderent, iisque ad occupandam civitatem, aperto unidique aditu, panderetur via. Cum hæc præcepta sedulo implerent, muri sponte corruentes urbem illis prodiderunt. Ostendit mox inusitatus hic & omnium hominum memoria inauditus pugnandi modus, dum non arietibus, scalis aut aliis machinis bellicis, sed sono buccinarum incondito, & vociferationis hominum ad rem bellicam ruidum, mœnia diruebantur, non medii alicujus ad effectum sufficientis ope, sed mandati Divini vigore, factam fuisse hanc ruinam, adeoque illam esse censemdam miraculosam. Attamen, cum fuerint multi, qui sano, in primis harmonico, magnam & admirabilem efficaciam tribuerunt, & aliqui hunc etiam effectum ad naturæ vim res vocare voluerint, digna mihi hæc res visa est, in quo in-

genii juvenilis vires periclitarer. Lectorem vero benevolum rogatum volo, velit in conatus hos meos mites concicere oculos, eosque benigna perstringere censura.

§ II.

Quo vero manifestius patescat, an naturæ viribus quantum hæc murorum urbis ruina adscribi, an vero potius inter supernaturales & naturæ vires transscendentes operationes veniat referenda, haud inutile judicamus, quid naturale sit, quidque miraculum, paucis exponere. Naturale itaque dicitur, cuius ratio in essentia & natura entis, legibusque quibus hæc subjicitur, continetur & inde reddi potest. Ita naturale est corpori, quod per ejus structuram & partium qualitates atque leges mechanicas explicari potest; ut circulatio sanguinis, digestio cibi, actio tremulantis aëris, soni vehiculi, in nervos auditorios, &c. Naturale spiritui illud dicitur, quod ex ejus essentia, viribus & agendi legibus intelligitur. Quod jam naturaliter contingit, & secundum modum, quem natura in agendo observat, ordo naturæ tñevit appellari, qui ideo legibus supra memoratis, ipsisque rerum essentiis & viribus, determinatur. Supernaturale ex adverso sive miraculum est omnis eventus, cuius ratio ex rerum creatorum vel finitium essentia & natura, legibusque quibus hæc subjicitur, reddi nequit, vel in iis non continetur. Miraculum ergo non ex naturæ ordine intelligi aut explicari potest; infert enim suspensionem legum naturæ. Apparet hinc, miracula non absolute, sed sub hypothesi naturæ rerum, esse impossibilia. Si vero, remota illa hypothesi, ponatur hypothesis voluntatis Creatoris omnipotens, fiunt non solum possibilia, sed etiam actu producuntur. Est enim natura contingens; potuisset Numen creaturis alias dare limitationes, & alias imprimere corpori-

poribus leges motus, ex quibus possent concipi illi effe-
ctus, qui, positis his praesentibus limitationibus & legibus
motus, jam recte habentur pro miraculosis. Idem per
omnipotentiam suam sufficit illis effectibus producendis,
qui ex nulla vi finita possunt conceipi. Adeo itaque in
miraculis operatio DEI supernaturalis & extraordinaria.
Et quamvis illis turbetur nexus caussarum efficientium,
minime tamen finalium, naturales enim & supernatura-
les eventus iisdem finibus a sapientissimo Numine subor-
dinantur, quibus obtinendis, dum non sufficit natura,
ab ejus legibus sapientissime constitutis recedit, & huic
defectui per miracula medetur, dum adeo causa moralis
gravis & DEO digna. Facta esse miracula abunde e sacris
edocemur litteris, ubi occurunt eorum plurima, quo-
rum scrutinium non est adeo longe supra nostræ cognitionis
modum evectum, quin cum certitudine possit excuti & pro-
bari, hos effectus non ex caussis naturalibus posse con-
cipi. Quamvis autem modum, quo fiunt, ignoremus, mi-
sera tamen & jejuna esset inde deducta ad horum facto-
rum impossibilitatem argumentatio. Ex. gr.: si quis aquam
in momento vinum fieri posse ideo negaret, quia mo-
dum non capimus. Quasi vero modum perspicceremus,
quo Deus per naturam successive quotannis aquam in vi-
num commutat. Reliqua, quæ miraculorum doctrinam di-
visionesque spectant, scientes præterimus. Et potius ad
illud expedientum accingimur, ut miraculi definitionem
facto huic, nimirum murorum Hiericho ruinæ, conveni-
re ostendamus, idque ex ejus & determinationum ipsi in-
ternarum & propriarum consideratione, evincamus.

§. III.

Placuit supremo rerum Domine sub ipso introitu Israe-
lita-

Iitarum in terram patribus eorum promissam miraculum
tale facere, ex quo tam ipsi, quam Cananæi, plene per-
spicerent, quod pro Israële pugnaret, & nulla hominum
virtus illi resistere posset. Opportunam occasionem ad ob-
tinendum hunc finem confirmandorum Israëlitarum ter-
rendorumq; hostium suppeditavit munita Hiericho, quæ
per magnam vim capienda fuisset repudiata pace oblata,
quam tamen miraculose DEus in manus Iosuæ tradidit.
Dico miraculose, cum modus hic destructionis murorum
plane sit diversus a naturali omni, & a caussis naturalibus
dependentiam respuat. Ostendunt hoc omnes circumstan-
tiæ. Prædixerat hunc eventum DEus, & secundum illam
Divinæ voluntatis significationem omnia evenerunt. Lo-
quitur etiam de futura urbis occupatione haud aliter ac de
præteritis, solito in scriptura more, cum dicta in promissio-
nibus divinis pro factis sint habenda: *Ecce dedi in manus
tuas Hiericho, v. 2. ubi hanc urbis traditionem in potesta-
tem Iosuæ sibi soli, non naturalibus mediis ullis, adsignat.*
Verborum etiam v. 5. non illum esse sensum, quod spon-
te murus collapsurus sit, sed quod Dominus eum sit de-
jecturus, quasi diceret: & *vel tum faciam, ut cedat murus*
observavit Seb. Schmidius ad h. l. Si porro sono illo unam
alteramve rimam traxisset & aperturam minorem reliquisset
murus, esset fortassis illis, qui ad naturales caussas hoc
revocatum volunt, via aliqua elabendi; sed miraculum
manifestum arguit ῥὸ ἡτηρία, quo murus simul totus & in-
teger ejus ambitus subter se & fonditus dejiciendus prædi-
citur; unde etiam additur, quod *populus ante se quisque ad-
scenderent, nimirum supra aggestos lapides quilibet potuit*
recta & sine labore in urbem irruere. Sed quid opus est
multis? Divus Apostolus inter alia fidei miracula etiam
ruinæ murorum Hiericho meminit, quos fide corruisse circuitu
dierum

dierum septem, afferit. Ebr. XI. 30. ubi non fiduciam salvificam sed miraculosam intelligit. Neque enim adeo alacres ad circumdata moenia & clamorem tollendum esse potuissent Israëlitæ, quo nihil absurdius profanis videri poterat, nisi constanti fide vicissent omnia carnalis sensus ~~avertitur~~, & solo Numinis mandato & promissio freti, de felici eventu neutquam dubitassent. Quis itaque hoc accersere vim quandam naturalem audeat? Adebat quidem sonus, sed is ad effectum producendum minime sufficiens aut adæquatus. Utpote enim Numen ad miracula sua, quo virtus Divina clarius enitesceret, adhibere sivevit media omnium judicio vilia & contenta; utpote dum Moses in miraculis edendis pastorali utebatur baculo; Eliseus ad lepram curandam aquæ Jordaniæ lavacro; dumque CHRISTUS ipse usurpat in baptismo aquam, in Cœna panem & vinum, quibus tamen sacramentis, mediante verbi virtute, non urbis alicujus mœnia, sed portas infernales destruit, & universum satanæ regnum evertit; ita hic sonum tubarum & vociferationem hominum usurpari voluit, quibus vix quidquam vilius & infirmius ad demoliendos muros urbis optimæ circumvallatæ, qui difficulter robustissimorum instrumentorum adminiculo prosterni potuissent, cogitari potest.

S. IV.

Non quidem ignoro, fuisse varios, qui sono insignes vires in res naturales tribuerunt. Cui enim ignotæ esse possunt Poëtarum vel de Orpho, silvas, laxa & feras lyra sua post se trahente, vel de Amphione, cithara lapides movente, murosque & septem Thebarum por-

tas construente; narrationes? Integra secta Pythagorica mundi totius machinam e musicis rationibus esse compositam assertuit, & divinam humanamque sapientiam numeris & musica absolvi, teste Censorino. Hinc non modo referebatur musica inter quatuor illas facultates, in quibus pueros suos institui curavit antiquitas, sed etiam aliquando *encyclopaedia* nominatur, vel talis disciplina, quæ omnes reliquias comprehenderet. Prodiit ex Pythagoræ disciplina *Apollonius Thyanus*, qui, accuratae sonorum numerique harmonici cognitionis ope, non ægrotis modo sanitatem restituisse, sed mortuos etiam ad vitam revocasse dicitur, aliaque stupenda, divinitatis famam illi conciliantia, patrasse. Sed quis non videt, hæc & his similia alia fabulosa ut plurimum esse, vel etiam mysticum in se sensum habentia? Ita *Orpheus* & *Amphion* non non re vera plectro lyrave rigida saxa loco moverunt; sed hoc ipso indicatur, illos hominum agrestem naturam in meliorem commutasse, eosque ex moribus incontumis ad nitidos, e cautibus in campos, ex vita ferina ad obsequii civilis disciplinam, pellexisse. Præcipue morbos & vulnera carminibus & cantione eurari posse credebat veteres, cuius rei vestigia jam in *Homero* comparent. De *Hierophilo* medico refert *Megalinus* in Elogiis musices, quod motus corporis humani & artuum, nec non pullum venarum, in numeros digesterrit musicos. Neque sequenti tempore illa de efficacia harmoniæ in morbis opinio exolevit. Gloriatur enim de se *Marianus Capella*, libr. IX. Quod corporeis morbis medicabile carmen insonuerit, quodque phreneticos etiam symphonia sanaverit. Imo, *Job. Baptista Porta* omnes omnino morbos musica vi depelli posse affirmat, modo quis fistula, quæ e lignis plantatum morbis illis medentium sit confecta, insonet.

Ut

Ut vero hæc sunt nugatoria , ita non temere musicæ o-
mnis circa morbos deneganda vis est. Ostendit enim il-
lam Italia , & in primis Tarento Apulia regio , ubi morsus
tarantula nulla alia medicina sanantur. Vim etiam
ejus circa febres variis exemplis memorabilibus evincere
conatur *historia Academia Regia scientiarum Gallica*, 1707. p. 9.
& 1708. p. 27. Potissimum vero musicæ efficaciam in se-
danda mente , componendis affectibus , & turbidis cogi-
tationibus pellendis , tribuebant Pythagore discipuli. Nam
& ipse , Jamblico & Eliano testibus , quoties vel surgebat ,
vel se somno dabat , cithara cantavit. Sed & de hac
ejus virtute varia circumferuntur fidem superantia & fa-
bulosa. Ex. gr. dum de Timotheo musico perhibetur ,
quod invictum illum Alexandri M. animum peculiaribus
sonis ita commoverit , ut subito furore correptus , appre-
hensis armis nil nisi hostium , qui tamen tunc longe
aberant , spiraret cadavera ; mox vero , cum mutaret so-
num Timotheus , aliis sibique dissimilis quieverit. Ita de
Erico Daniæ rege refert *Saxo Grammaticus* , libr. XII. & ex
illo Alb. Crantzius libr. V. Daniæ c. III. quod a musico
in tantam rabiem actus fuerit , ut suorum innocentis san-
gvine furori litaverit. Hujus artificis fuisse illam peri-
ttiam referunt , ut gravi sono mœrem omnibus incute-
re , mox , aliter dirigendo instrumentum , lætitiam in
illis excitare , & tandem non ad indignationem modo ,
sed etiam furem , illos adigere potuerit. Non tamen
omnem harmoniæ concinne applicataæ musices in melan-
cholia , dolore & tristitia pellenda , aut rædio in labore
obrepente sedando , efficaciam derogamus , utpote quam
abunde stabilit experientia ; cuique musicæ in affectus
humanos virtuti probandæ etiam solet adduci *Saulis exem-*
plum , 1. Sam. XVI; 23. Ubi tamen impuri genii fuga

non lyræ Davidis , aut harmoniæ musicæ potest tribui , sed ubi non naturalem modo , verum etiam supernaturalem adfuisse vim credimus. Illam , dum svariissimus citharæ pulsus melancholicos humores , quibus malignus spiritus potissimum abutebatur , mitigavit & correxit ; hanc vero , dum David non fides modo tetigit , sed etiam devotos psalmos recitavit , quibus dæmonem efficaciter excussit. Est denique in ipsis bestias mira quædam vis musicæ , cum fistula pastorali cantuque & illæ muleantur ac delectentur.

S. V.

Illa , quæ jam observavimus & concessimus circa soni harmonici vim in regnum animale , fateri nos cogunt , adesse in illo absconditi quid & occulti , cuius rationem invenire & sufficienter explicare nondum potuerunt eruditii. Sed neque hæc res præcise nunc ad nos spectat. Quid agat in res inanimatas , montes , silvas , muros , & ejusmodi alia obstacula sonitus ut dispiciamus nobis proprius incumbit. Est hic tremulus motus , ortus vario modo , utpote idoneorum corporum percusione , collisione , vibratione aut displosione , qui tremor elasticus & subsultorius in expansionem sphæricam , cuius centrum occupat corpus sonorum , per aërem propagatur , & in obices incidens , impulsionem quandam similem in illis producere conatur. Undæ etiam ejus a corporibus , in quæ incurruunt , duris , reflectuntur ; quæ si ad locum suæ originis redierint , & auribus tum demum denuo offerantur , quando sonus directus in illis jam evanuit , tunc relona illa svariata & jocosa aëris filia , Echo , oritur. Posunt hujus tremoris variis esse gradus , maiores minoresve , adeoque etiam soni intensitas diversa , estimanda ex mule

multitudine partium trementium , & illis inducti tremoris magnitudine. Soni vehementis impetum videri aliquando adeo insignem largimur, ut magna moles & vasta ædificia inde contremiscant, & ruinam atque subversionem quasi minitentur, quales tremores tormentorum potissimum bellicorum explosions producere solent, & horribilis ille tonitru fragor, quo cœlum & terra sæpius concutti videntur; cuius sonitus magnitudine & mirabilium effectuum segete multi in eam deducti sunt opinionem, non fieri illum naturæ vi, sed manifesta Deorum ope.

J. F. Buddeum, de râna murorum Hierichoninorum, in parergis historico Theologicis, pag. 246. Sed hi quidem effectus non sunt sono vehementiori in solidum adscribendi, verum tribuendi etiam expansivæ ignis facultati, & fulminibus tonitru concomitantibus. Neque tamen illis muros urbis alicujus funditus eversos alieibi legimus. In obsidione Hiericho paullulum aëris per guttura humana & buccinas modificabatur, cuius vis ad mœnia fortissimorum etiam ventorum impetui resistentia convellenda nulla erat. Frustra etiam ad multitudinem clamantium provocaretur. Testatur enim experientia, clamore ingentium exercituum ne castrorum quidem quidem unicum, nedum muros urbium, concidisse. Tollebant alia occasione Israëlitæ clamorem castrensem circa aureum vitulum tripudiantes, *z. Mos. XXXII. 17.* Dum Macedones & Persæ in conspectu sed extra teli jactum erant, priores Persæ inconditum & trucem sustulere clamorem. Redditur & a Macedonibus major, exercitus impar numero, sed jugis montium vastisque saltibus repercussus. *Curt. L. III. c. 10.* Turcæ hodienum numerosissimos educunt exercitus, & sub oppugnatione urbium omnis multitudo immanes clamores profundit; neque tamen ullibi effectus aliqui huic ulla-

nus analogi insecuri sunt. Et esset sane illa ad occupatio-
nem urbium via brevis & compendiaria, si solo clamore
& buccinarum concentu mœnia solo æquari possent. Non
opus tum esset tanto apparatu, tanto machinarum moli-
mine, tanta pulveris nitrati & metalli copia. Sufficeret
militibus guttura intendere, & omni reliquo labore su-
perfondere facile possent. Ponamus tantisper, sonum hunc
ab Hebræis editum tam arctis angustiis inclusum fuisse, ut
omni alio præcluso exitu, necessario & tota vi in muros
urbis fuerit adactus; quod tamen concedere neutiquam
possimus, cum saltim per patentes cœli plagas se diffun-
dere potuerit, ne sic quidem tantam ejus efficaciam con-
cipere valemus. Et, si vel concederetur, illum tum sus-
fecturum parti muri directe sibi objacenti disjiciendæ; neu-
tiquam in reliquum mœniorum ambitum æquali virtute, ut
universus simul caderet, impingere potuisset, præfertim
illæsis interjacentibus civium ædibus, exceptis tantum iis,
quaæ muris inadiscicataæ erant, quas una cum illis corruiisse
plus quam credibile est, a qua tamen ruina promissione
divina Rahabe servabatur domus.

S. VI.

IN patrocinium illius sententiae, quod clamoris vis po-
tuerit subvertere muros Hiericho, solent quidem accer-
seri Ambrosius, Hieronymus, & Origenes. Sed accuratius
consideratis eorum verbis, pater, illos asserere, clamore
equidem, sed non ex vi ejus naturali, verum morali,
videlicet fidei, muros concidisse, adeoque miraculum
non imminuere. Idem de Augustino judicandum, qui,
Serm. CCVI. De tempore muros ad clangorem populorum so-
numque tubarum usque ad fundamenta dejectos esse docet, nul-
libi tamen hoc via naturali factum contendit. *Germonidi*
quoque

quoque illa opinio absolute a Kirchero & Morboſo tribuitur, quamvis & ille miraculum hic agnoscat, licet simul de ſoni vehementia modeſte diſferat: Fortaffe poſſet, inquit, & clamorū magni viſ quādam in hoc prodigio eſſe, quia vox magna movents aērem motu vehementi; niſi eſſet inconveniens aſſerere, tanquam ejusmodi motu contigisse miraculum, ut validi muri conſiderint, abſq; miraculoſo Numinis concurſu. Commentar. in Jol. VI. Sono vero tanquam cauſa naturali hunc effectum adſcripſit Mersennus, comment. in Gen. Cujus palmaria ar- gumenta repetiit & novo ornatu inſtruxit Morboſius, in diſ- ſert. de Scypho vitreo, per cēriū humana vocis ſonum fracto. Redeunt pleraque ad vehementiam ſoni oſtendendam, de qua in ſuperioribus jam egimus. Additur hiſ alia ratio ſpeciosiſor, petita a proportione ſonitus ad tensionem taurorum. Eſt enim harmoniæ & proportionis ejusmodi vim ad motum concitandum, vel ex nota illa chordarum & que tenſarum vibratione colligi poſſe opinantur. Quam rem novo experimenti genere conſirmavit Morboſius, dum vidit & audivit Amſtelodami Nicolaum Petterum certo vocis ſono vitreo ſcypho primo ſtridorem ingentem conciliare, deinde, continuato eodem ſono, vitrum iplum confringe- re; idque ſaepius eundem, præſente etiam magno Hetru- ria Duce, & celebri Thevenotio, factitasse. Cum vero mu- riſ etiam hiſ, & lapidiſbus e quibus coagentati erant, ſua adjudicanda ſit tensio, evenire facile potuiffe cenſent, ut cla- mori Iſraëlitarum & ſono buceinarum is fuerit gradus ten- ſionis & illa harmonia, que responderet murorum tensio- ni, & ad illos concurtiendos & diruendos eſſet adaptata. Inprimis, cum nemo facile dubitare queat, quin in illa elamantium multitudine omnia ſoni genera fuerint exau- dita. Sed a ſubtili vitreo vasculo, fractioni per ſoni pro- portionem obnoxio, ad lapides non modo, ſed etiam ad vaſti-

vastissimos muros; neutquam valet argumentatio, cum sint in his omnia toto cœlo diversa. Neque illa exceptione in salvo collocatur res adversariorum, quod nimis hic adfuerit alius sonus, quam qui vitrei scyphi fractioni sufficit, & tanto fortassis intensior, quanto major est lapidum præ vitro cohærentia. Possent enim, si hæc ita essent comparata, hodienum, bellorum compendio facto, muri ingentium exercituum clamore subrui, in quo itidem omnia sonorum genera, adeoque etiam aliqua muro destruendo proportionata, reperiri nemo temere inficiabitur.

§. VII.

Provocatur porro ad situm loci, urbisque & terra conditionem, quæ multum conferre potuissent ad intensitatem soni. Et describitur certe antiquis Hiericho, occasione balsami confini sylva provenientis illis celebrata, ut montibus undiquaque circumdata. Strabo enim Libr. XVI. Geogr. sic habet: *Hierichus est campus a montana quadam forma circumdatuſ, quo in theatri ſpeciem ad iſum declinat.* Et Iuſtiniſ Libr. XXXII. c. III. describit hanc vallem ut contineat montibus, tanquam muro quodam, ad iſtar caſtorum clauſam. Qui tamen credere ideo potuerit, ſonum per vastiſſimam vallem diſfulſum & a montibus eam claudentibus repercusſum tanta vi agere potuisse in muros urbis, quanta hie requiritur, is adeo boni eſt appetitus, ut Rabbinorum etiam commenta, multa nimis, quæ in templo Hierosolymitano geſta ſunt, utpote ſonum portæ majoris quando aperiebatur, & buccinæ cupræ, in Hiericho fuiffe auditæ, digerere valeat. Neque id ſiceo, quod ajunt, tranſeundum eſt pede, quod obſervat Buddeus l. c. idque præente Abarbanel, pati Ebree lingvæ genium, ut quæ apud divinum ſcripторem in deſcriptione oppugnationis hujus de populi clamore leguntur, ita poſſint exponi, ut fuerit ſignum victoriarum,

ris, adeoque jam prius muri conciderint, quam iste boatus exaudiretur. Qua quidem interpretatione omnia corruntur, quæ pro soni efficacia ad diruendos hos muros conquiruntur argumenta. Si enim solo buccinarum clangore id factum esse quis contenderebat, nulla dari potest ratio, cur non statim primo die corruerint? aut cur septem diebus & vicibus nec pluribus vel paucioribus circumirent urbem? Non quidem ignoro, priscos credidisse, varia mysteria sub hoc numero latere, unde Pythagoras tanti factus est, ut semper virgo & sine matre fuerit appellatus. *Lino* vero omnium origo, *Ciceroni* nodus universi dicitur. Nec defuere Judæorum & Christianorum variis, qui septenarium sanctum, divinitus consecratum DEoque multis in rebus gratum judicarunt, unde neque heic eundem sine mysterii suspicione dimittunt. Hinc R. D. Kimchius: *Numeri septenarii mysterium nostrum est ad intelligentes scientiam.* Sed his nugis refellendis non opus est ut immoremur. Sanius Abulensis in h. l. factum fuisse aliquoties hunc circuitum credit, ut manifestius patret, ruinam murorum non contigisse casu, aut medio aliquo naturali. Septenarium vero numerum quod concernit, docet, rationes a nobis redi non posse, ubi DEus nullas revelavit, neque licere nobis de rationibus DEi temere divinare, cum tam facile erretur, quam res acu tangatur.

S. VIII.

Indicasse tantum sufficiat alios, qui temerarie in præsenti miraculo aliqua suppoluerunt, & circumstantias invita sacra historia ex ingenio effinxerunt, quo ad naturales caussas idem reducere possent. Qua quidem ratione summa omnia & evidentissima miracula eludere & ad naturæ cursum referre facile esset. Ita fuerunt, qui certæ constellations & astrorum situi sub clamoris momento hunc effectum ludicre adscriperunt. Alii terræ motum tum simul contingisse,

gisse volunt. Et hic quidem, dum vehementior fuerit, sufficit muris diruendis. Sed edoceri cupio, quo argumento constet, tremorem & concussionem talem hic adfuisse? Nulla in scriptura adest ejus mentio, & tum non muri modo, sed etiam ædificia urbis, quæ postea igne deleverunt Judæi, una corruiſſent. Aliqui mœnia hæc antiquitate ruinam minitania adeoque ſoni impulſu facile deſtructibilia fingunt, cum tamen hæc urbs, ut optime munita, describatur, cumq; Canaanæ, ſi quid a tempore vitii traxiſſent muri, illud, audito Iſraēlitarū adventu, emendare non intermiſſiſent. Neq; in objecta ad diſſolutionem vergentia molliora impetus ſoni tantus eſt, ac in incorrupta & dura. Judæorum porro doctores ad fabulas proni hoc miraculum in ſe ſatis magnum novarum circumſtantiarum e cerebro ſuo additione majus reddere voluerunt. Perhibent nimirum hi, muros hujus urbis eandem cum alitudine poſſeffiſſe crassitiem, adeoque in latus corruentes manſiſſe & que inacceſſibiles. Hinc illos ſubtus, terra hiante, abſorptos tradunt, aliqui penitus, ita ut ad civitatem aditum planum reliquerint, alii ita, ut pars tamen aliqua extra terræ ſuperficiem, in memoriam miraculi, eminuerit. *H. Marcellus* denique Jesuita in *comment. in b. I.* putat poſſe ſtati, DÆum his clamoribus, tanquam cauſa morali, fuilſe uſum ad hujus miraculi patrationem. Sed cum moralis cauſa rei alicujus dicitur, qui vel iuſione, vel adhortatione, vel non impediendo, vel aliis modis ſimilibus ad effectum concurrit, facile appetet, talem cauſalitatē non poſſe ſono competere. Sed non mirum eſt, hunc Lojolitam heic nubes & inania prenſare, cum integra ecclēſia Pontificia, ex hoc Iouæ capite, petat allegoricam probationem abominandæ idololatriæ, de circumgeſtione ſ. Euchariftiæ, reliquiarum & aliorum ſacrorum, quæ cum canticiſ rubiſ & clamore, præmissiſ vexilliſ & cruciibus, ſequentiibus clericiſ & laiciſ, peragitur,

T A N T U M,